



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXII. Wichboldvs. XLI. Arch. XXV. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

non verò armis cum civitate agendum ritè persuasus, pacem dedit & impetravit, cum Phrygibus doctus sapere. Annis 14. veriùs pugnavit, quàm quievit: excipe annum mortis 1275.

LXI. SIFFRIDVS, XL. ARCH.  
XXIV. ELECTOR.

**S**iffridus ex præclaro Westerburgorum stemmate ortus, institit cruentis Engelberti II. vestigiis, aut longè superavit, gladio magis, quàm consilio usus, ut vim vi frangeret. Quare haud veritus arma ipse induere, & in arenam descendere, at in eadem captus ab hoste Montensi Comite Adolpho, annis 7. libertatem frustra desideravit: tandem verò liberatus, mox totis viribus redintegrato bello ea fortunâ certavit, ut Adolphum inter victos atque captivos ductum, talionis poenam subire mandârit modo planè barbaro. De fine captivitatis desperandum erat ante omnia alia Adolpho; modum ut mitigaret victor, vix ausus est sperare, præsertim cùm ferreæ caveæ nudum Comitis corpus inclusum, & melle oblitum vespis & muscis patere iussit, exemplo inter hostes Christianos hæcenus inaudito. Hujus Electoris etiã causâ interdicto Ecclesiæ subiecta Colonia multo languit tempore. Annis 24. non sedit, sed sæviit ad annum 1298. usque.

SECULUM XIV.

LXII. WICHBOLDVS, XLI. ARCH.  
XXV. ELECTOR.

**W**ichboldus ex Illustrium Baronum de Holte natus sanguine, & Colonia legitimis in Archipræsulem electus calculis, omnem quamprimum movit lapidem, ut Metropolis sua interdicto soluta, ovis instar perditæ reduceretur ad pastorem suum. Laudem hanc unam & maximam  
Wich-

Wichboldi reliquit Colonia posteris. Annis 7. fuit Elector an.  
1306. terræ mandatus.

LXIII. HENRICVS II. XLII. ARCH.  
XXVI. ELECTOR.

**S**epulto Wichboldo electores Canonici in tres partes abi-  
erunt; pars nimirum prima Wilhelmum Juliacensem, pars  
altera Reinaldum Westerburgicum, pars reliqua Henri-  
cum Virneburgicum, tres Comites in Præsulem suum delegerunt.  
Nodum Gordium jure dicere poterant litem hanc gravissimam,  
quam dum nequît solvere consilio, gladiô Henricus dirupit;  
post casum enim in pugna Frandensi Wilhelmum, Romam, aut  
verius Avenionem properavit, ubi à Clemente denique post per-  
actam pœnitentiam, & exhibita habilitatis suæ argumenta est con-  
firmatus. Eadem tempestate Imperii Electores de eligendo, &  
mox electo novo Cæsare inter sese certabant primo calculis, mox  
verò armis: pars enim Ludovicum Bavarum, pars altera Frideri-  
cum Austriacum à se electum propugnavit. A Friderico stetit  
Henricus, quem idcirco Bonnæ coronavit Imperatorem, rin-  
gente parte altera. Inter turbas itaque Imperii transigenda fuit ætas  
Henrico ferè annis 26. quibus Coloniæ Sedem tenuit mortuus  
an. 1331.

LXIV. WALRAMVS II. XLIII. ARCH.  
XXVII. ELECTOR.

**W**alramus Juliacensis Comes, fortissimos præ alijs sensit  
hostes Ludovicum Bavarum & Adolphum Marchiæ  
Comitem Leodiensem Episcopum. Contra hunc  
sententiam dixit Joannes XXII. Romanus Pontifex Walrami  
quondam Bononiæ condiscipulus. Contra Bavarum pro Wal-  
ramo pugnavit Clemens VI. ad quem in Galliam ubi pervenit  
profugus Walramus, sepulchrum invenit, an. 1349. postquam  
Elector vixit an. 18.

LXIV.